



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Theodote Cum Filiis MM. 2. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

maverat, triduo pōst inter funera sua funus etiam ipsa deprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Roma. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuisse Livo credam. Ex Surio.

Funiculus Fidei, Spei & Charitatis, qui difficile rumpitur, compedita tenet humilium corda, nec patitur illa extolli, aut à virtutum tramite deviare, quin potius elevat ad summa & conjungit Deo, facitq; gustare gaudia sempiterna. S.Laur.Just.de humil.

S. THEODOOTE CUM FILIIS MM.

2. Augusti.

Numerabat THEODOOTE in viduo thoro filios, quos è conjugè demortuo genuerat, duos, quos vero Christi amore adoptaverat, vincitos ac captivos longè plurimos. Talem Diocletianus Leucadio, qui mirè ejus nuptias ambiebat, tradit, qui dum nullis eam blanditiis capi videt, & dominum ducere jam desperat, vinculis certè captam ad Bithyniæ tribunal adducit. Hic matris pectus per filiorum latus oppugnaturus EVOIVM primò, tum minimum natu filium cuniculis verborum subruere annititur. His ubi nihil proficere se videt, in apertam vim, verbera atrocissima prorumpit. Sed plena animis verba, quibus mater ad constantiam suos firmabat, plus poterant apud filios, quam verbera tyranni. Interea Hyrtacus homo non jam sceleratus sed scelus, pudicitiæ matronali manum afferre attentat. Sed qui pro hâc tuenda excubabat Angelus, irruentem ita pugno exceptit, ut quantumvis impudentis vultum largo sanguine erubescere tamen faceret. Post hâc Præses matri geminam morte minatur, dum hanc sub oculis ejus

3. Aug. VITÆ SANCTORVM.

379

ejus filiis geminis intentat. Sed illa Spartanâ voce
hoc unicum votum suum esse dicebat, bis antè,
quàm semel mori, & filiorum priùs oculos, quàm
suos claudere; scire se ad hoc filios genuisse, ut es-
sent qui pro patriâ, Cælo, occumberent. Ergo in
flammandem fornacem unà omnes injiciuntur. Et
ecce continuò Superi probarunt & ad se rapue-
runt aurum. Ex actis S. Anastasia.

Cùm sis adolescens, silentium & diligentiam cole:
diligentia enim te gratum conservat; silentium autem
anima lucem tuetur, nec splendorem ejus tenebris obrui-
sinit; semper denique & in omni actione comes tua sit
humilitas. S. Ephrem de vita spirit.

S. PETRUS EPISC. 3. Augusti.

EX principum Salernitanorū stirpe ajunt oriun-
dum PETRVM. Sed ut in nobiliorem etiam fa-
miliam transiret D. Benedicti, non dubitavit pur-
puram cum cucullo mutare. Attulit tamen hic al-
teram illi purpuram, cùm Pont. Anagniæ ab Alex.
Pont. Max. datus est. Sed nos illud multò pluris
facimus, Cælitibus tam familiarē PETRVM fuisse.
Etenim cùm dubitatio suborta esset Agnaniensi-
bus, num D. Magni ossa penes se haberent, eam ex
omnium animo delevit ipse Magnus, & testis suus
ipse verissimus feminæ à paralyssi afflictae (excuba-
re eam PETRVS ad tumbam Divi jussérat) sub no-
ctem conspicuus suam præsentiam Episcopo, si-
mul sanitatem ægræ nuntiavit. Idem D. Magnus
PETRO oranti visus iter illi Constantinopolim
indixit & simul itineris rationem edixit, ut quòd
valetudinem Imperatori allaturus, & invicem,
quidquid postulasset, esset ablaturus. Itur ergo
Constantinopolim ad Michaëlem. Sed negat hic
se